



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibvs

De Deo Effectore, Creaturarvm Omnivm Tractatvs II. De Opere Sex
Diervm, Ac Tertivs De Anima

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1622

IV. An in appetitu sensitivo sint plures potentiæ habentes plura objecta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93575)

Argumen-
tum 1. pro
opinione in
2.
Secundo.

Tercio.

Quarto.

Quinto.

Sexto.

Ad 1. res-
pon-
sum quoniam
dum non
placet.
De hoc prin-
cipio in disp.
23. mes. sect.
7. et 12. de
Orat. mens.
6. 13.
Melior re-
sponso.

Capreolus im-
merito car-
pitur.

potentia in actum reducere, quod sepe expositum est, & solum argumentum: opinio vero ulterius alata in n. 2. tribuensque obiecto, vel eius apprehensionem efficientiam nititur primo. Quod apprehensio illa simpliciter necessaria sit ad appetendum, atque aliquo modo efficiat actum. Secundo, quia si dicamus appetitum moveri ad præsentiam appetibilis, eadem ratione dici poterit de intellectu, deque alijs potentijs, quod se moveant ad præsentiam obiectorum, nulloque modo moveri ab illis effectivè. Tercio obiectum præsens magis excitat appetitum, quam absens: ergo aliquid efficit, alias non esset cur magis movere diceretur. Quarto potest argui: quoniam in voluntate dantur actus tum circa finem, tum circa media: atque actus circa finem causat actum circa media: ergo non sola voluntas efficit omnes actus suos. Quinto arguit Caiet. Quoniam verbum divinum, quod est conceptus Patris, concurret per modum efficientis ad productionem amoris, seu Spiritus sancti, producit enim illum, ut verum ipsius principium. Licet efficiens causa proprie non sit: ergo etiam in nobis verbum conceptum concurret effectivè producendo amorem, solumque interest, quod sit accidens, divinum vero realis substantia, quod certe discrimen non variat modum concursus, sed tantum rei productæ rationem. Sexto, faveat huic opinioni Aristoteles 12. Metaphysicæ text. 36. ubi reducit omnes causas moventes ad primum appetibile: reductio vero ad causam efficientem esse debet, alias æquiuocatio committeretur in argumento, quo loco Averroes commentatur badnem in anima causare desiderium, ac Divus Augustinus etiam 15. de Trinitate, cap. 23. docet amorem procedere à scientia, & cap. 26. amorem procedere de *gignente, & de genita notione, tanquam de parente, & prole*. Divus Thomas 1. part. q. 14. a. 5. & 3. & 1. contra gentes, capit. 49. & 1. 2. q. 1. artic. 3. scribit actionem fumere speciem à forma, quæ est principium agendi, ideoque actiones voluntatis specificari à fine sentit ergo finem esse principium agendi in voluntate, & 1. part. q. 80. art. 2. docet appetitum esse potentiam falsitatem, quia movetur ab appetibili, quod Aristoteles dixerat 13. de anim. c. 7. idem sumitur ex 1. 2. q. 9. a. 1. & q. 22. a. 3. ad 2. & quæst. 30. a. 2.

Ad primum occurrunt quidam apprehensionem obiecti non esse simpliciter necessariam ad appetendum, hoc tamen falsum est, cum primum principium sit: *Nihil esse volutatis, quin præcognitum*: ac supra ostendimus appetitum elicitum oriri ex cognitione, unde appetitus: qui cognitum non supponit, quodammodo mortuus est, non elicitus & vitalis, de quo nunc loquimur. Admitto igitur apprehensionem requiri, non ut efficientem causam, sed ut applicationem obiecti, bonum enim movet quidem appetitum, debet tamen ei applicari per cognitionem, ob idque D. Thom. 1. p. q. 82. art. 4. dixit intellectum movere voluntatem proponendo obiectum. Apprehensio itaque obiecti tantum concurret ad amorem, ut causa per accidens loquendo physice. Estque nihilominus necessaria: quæ duo certe non repugnant, in quo falsum non pauci reprehendentes Capreolum in 2. d. 25. q. 1. ad 1. Henric. contra tertiam conclusionem, quod dicat apprehensionem obiecti requiri per accidens ad actum, appetitus, non enim usurpat per accidens, quod necessariam non putet, sed quod non per se influat in actionem appetitus. Ex quo obiter colligitur, quæ coniunctio necessaria sit inter appetibile, & appetitum, ut sequatur operatio: cui rei similem tractavimus lib. 3. cap. 1. oportet enim ut vitaliter uniantur in eadem anima: in quo differt à cognoscitiva potentia, quæ vniionem obiecti cum potentia postulat, appetitiva autem postulat tantum sui obiecti vniionem cum

Francisci Suarez de Anima.

alia potentia cognoscitiva, eiusdem licet animæ. Ad secundum respondetur terminationem potentie ad hunc, vel illum actum non facit esse, ut obiectum effectivè concurret, sed verò in potentijs cognoscentibus potissimam rationem sumi ex modo operandi earum, videlicet assimilando, unde maior in eis indeterminatio cernitur, quia de se omni actuali principio carent per quod assimilantur, appetitus vero eo modo non operatur, sed inclinando in obiectum, cumque de se sit inclinatio, & pondus saltem in actu primo, & civitate obiecti minime eget. Ad tertium dices, obiectum præsens magis excitare appetitum, quia clarius, & fortius apprehenditur, atque adeo melius applicatur appetitui, magisq. movet illum. Ad quartum totum admitto, quod nimirum voluntas ex intentione finis determinatur ad electionem mediorum, sicut intellectus ex assensu principiorum ad assensum conclusionum determinatur, id tamen contra conclusionem non militat, in qua tantum excludimus efficientiam obiecti, vel alterius potentie ab appetitu. Non negamus vero, quin possit voluntas, vno actu medio, alium efficere. Quintum argumentum ad rem non facit, nam verbum divinum intelligens est, atque amans, ideoq. potuit amorem producere verbum autem nostrum, cum non amet, amorem non producit. Ad vicimum respondetur Aristotelem illo loco docere primum movens movere, ut primum appetibile, ne alias moveret propter finem alium, sicque aperte loqui de causalitate finali: Averroes vero agit de motione metaphorica, de qua etiam interpretandus erit D. Thomas ubi eundem de eo tractat, quando autem finem vocat principium actionis, intelligit moraliter, non physice: similiter appetitus potentia passiva dicitur, metaphorice, sicut motio finis metaphorica est, & hæc de principio actus appetitus. Quod erat primum punctum iudicio propositum.

De termino vero appetitus, quod erat secundum punctum, authores dissentiunt, Scotus enim in 1. dist. 6. & 10. & ibidem Gregor. & Durandus negant per actum voluntatis terminum produci, quod videtur sentire D. Thomas de veritate q. 4. art. 2. ad 7. Capreolus tamen in 1. d. 10. quæstion. 1. Caiet. 1. p. q. 27. art. 3. Ferrar. 4. contra, cap. 19. aiunt per actum appetitus produci nihil, inquantumque esse realiter distinctum ab actu ipso. Resolutio tamen apud nos facilis est ex supra dictis lib. 3. c. 5. 18. Metaph. certum enim iudicio in actu appetitus reperiri a se. 2. siquid per modum operationis, & aliquid per modum operati, atque terminum, & viam in tali actu modaliter solum distingui. Quæ est opinio D. Th. 1. p. q. 27. a. 3. & clarius q. 37. a. 1. Ratio communis est, quia ubi qualitas datur novè producta, productio illius debet existere, actus autem appetitus qualitas quædam est: porro autem aliter in appetitu qualitatem productam per actionem ab illo realiter distinctam, mihi non probatur, quia si ne vlla necessitate, & ratione astringitur: quod ergo appetitu producit, ipse est actus, quo amat, qui que pondus quoddam est in rem amatam, mixta illud ex Augustino vulgatum, *Amor meus pondus meum, illo feror, quocunque feror*. Quæ etiam de causa dicitur amans esse in re amatam, & quidam alius inuexit animam esse potius, ubi amat, quam ubi animat: & Matth. 5. *ubi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum*. Atque de actu appetitus hæc dicta sunt, de potentia vero ipsa iam in principio loquuti fuimus.

CAPVT IV.

Virum in appetitu sensitivo sint plures potentie habentes obiecta diversa.

Vos distinguimus appetitus supra, rationalem, & sensitivum: postquam ergo dictum

Acceptio-
ne
est
appetitus.

est in communi de appetitu, partes illius subiecti-
uæ sequuntur explicandæ. Ac primo de appetitu
sensitiuo tanquam nobis notiori agendum, qui
sensualitas quoque dici solet, quauis sub hac vo-
ce in malam fere partem sumatur, ut nimirum si-
gnificat ipsum appetitum, quatenus contra ratio-
nem insurgit, & illam præuenit. Vnde Augustin.
12. de Trinitat. cap. 3. sensualitatem serpenti com-
parat, quia suggestionem allicit rationem. Eaque de
causa talem motum sequentes, sensuales voca-
mus: certa tamen res est sensualitatem non esse di-
stinctam potentiam ab appetitu sensitiuo: quare
perinde erit de sensualitate, ac de appetitu sensiti-
uo disputare. Primo ergo quærimus de vulgari di-
stinctione appetitus sensitui in concupiscibilem,
& irascibilem.

In qua quæstione est antiqua sententia distin-
guens appetitum sensituum in duas potentias,
quarum alia concupiscibilis, & alia irascibilis di-
citur: duo enim munera exercere debet appetitus
naturæ. Primum est, prosequi bona appetendo,
quia vero bona sæpe à contrariis impediuntur,
oportune occurrit secundum munus contraria
obstacula remouendi, ad eaque iam bona tuen-
di. Pro primo actu inducitur vis concupiscibilis,
cuius obiectum est bonum concupiscibile, seu de-
lectabile. Ad secundum vero actum ponitur ira-
scibilis, quam Damasc. 2. lib. fidei, cap. 16. iram vo-
cat, cuius obiectum sit bonum sensibile arduum:
hæc enim potentia non fertur in bonum propter
delectationem illius, cum prosequatur non raro
per tristitiam sensui molestam: sed tendit in bo-
num arduum, quia defendendum est à contrariis.

Sic expositam opinionem tuetur D. Thomas supr.
& de verit. quæ. 15. a. 3. idem tenuit Pythagoras, &
Plato, quos refert Plutarch. 4. de placitis Philoso-
phorum, c. 4. Idem Gregor. Nissen. libr. 4. suæ phi-
losophie cap. 3. attribuitur communiter Augusti-
no, & Hieronymo, idem sensit Galenus 6. de vsu
partium, cap. 18. Prima horum authorum ratio
est. In potentijs materialibus quælibet distinctio
obiectorum formalium ad eas distinguendas a-
bunde sufficit, cum non sint potentie adeo vni-
uersales: allata ergo distinctio obiectorum sat erit
in præsentia. Secundo. In potentijs cognoscentibus
sensituius datur multitudo potentiarum: ergo et-
iam in appetitiuis. Tercio sæpe irascibilis appetit
contra inclinationem concupiscibilis: ergo pot-
est distincta sunt omnino. Antecedens patet: quia
irascibilis semper amat tristitia, ut repugnet con-
trariis, amare autem tristitia inclinationi concupi-
scibilis aduersatur. Quarto passionibus harum vi-
rium sunt contrariæ, nam ardens ira minuit con-
cupiscenciam: ergo, &c.

Rationes propositæ non videntur certè con-
cludere distinctionem realem inter has potentias,
facile enim dici posset vnicam esse potentiam sen-
situiam ordinatam ad bonum, quod per sensum
apprehenditur, illamq; habere actus, quibus pro-
sequatur, atque ut sic dici concupiscibilem, actus
item, quibus tueatur à contrariis, eoque pacto i-
rascibilem nuncupari. Probatur autem primo:
quia in potentijs cognoscentib. sensituius vna est
potentia vniuersalis in illo genere, quæ apprehen-
dit obiectum omne sensibile: ergo illi correspon-
det vna appetitiua, vniuersalis etiam in tali gradu
quæ amat, & prosequitur omne bonum sensibile.
Antecedens probatum est superius. Consequentia
valet: tum à pari ratione, tum quia appetitus non
sequitur cognitionem sensus exterioris, ut suo lo-
co vidimus, cum solus interior sensus cognoscat
rationem conuenientis: ergo si potentia mouens
appetitum est vna, appetitiua quoq; vna erit. Cõ-
firmatur: nam consuetum naturæ est amare vni-
tatem quoad potest: nihil autem repugnat dari

potentiam vniuersalem intra latitudinem obiecti
sensibilis: ergo, &c. Secundo arguitur: quia actus
irascibilis, & concupiscibilis adeo inter se connexi
sunt, & ordinati, ut non possint commode separa-
ri, & diuersis potentijs attribui: rectius ergo attri-
buuntur eidem: simili enim argumento supra cõ-
clufimus vnicum dari sensum interiorem, neque
vllatenus multiplicari realiter. Antecedens proba-
tur: quia irascibile versatur circa bona iam con-
cupita, iuxta illud Iacobi, Vnde bella, & lites inter vos,
nonne ex concupiscentiis vestris, &c. Aristot. 3. de A-
nimabilibus, scribit animantium pugnas de rebus
concupiscibilibus suscipi de cibis, de venereis, &c.
nihil ergo defendit irascibilis, quam prius concu-
pita: ergo congruum, ac necessarium est, ut eadem
sit potentia concupiscens, & defendens, si namque
totâ ratio tuendi bonum est, quia appetitur, quæ
quæso ratione vna potentia tuetur, quod appetit
altera? Explicatur, & confirmatur amplius. Nam
irascibilis insurgit contra impediendum concupiti
boni assecutionem: ergo appetit agnoscere quod i-
psam assecutionem impedit: ergo etiam appetit
assecutionem eandem: ergo vna est potentia app-
tens bonum, atque ipsius obstacula similiter. Tercio
arguitur. Si hæc potentie distinctæ ponantur, quænam
illarum erit perfectior? hinc enim perfe-
ctior apparet irascibilis, quia illi tribuitur obiectum
altius, atque nobilior: illinc videtur minus
perfecta cum tota ordinetur ad bonum concupi-
scibile, seu ad defensionem illius, vnde passionibus
concupiscibilis creduntur nobiliores, scilicet a-
mor, & desiderium, &c. Neutrum ergo potest dici
cõuenienter. Quarto rationes distinctionem tra-
dentes non vrgent, & distinctio rerum sine suffi-
cienti ratione non debet admitti: ergo, &c.

Ad primum ergo argumentum prioris opinio-
nis negandum, rationes illas diuersas obiectorum
sufficientes esse ad distinguendas potentias, eo
quod comprehendantur sub vna ratione adæqua-
ti obiecti, cum inter se ita subordinentur, ut ne-
queant commode diuersis potentijs tribui. Ad se-
cundum argumentum respondetur, non recte su-
mi ex sensibus exterioribus, quia non mouent ap-
petitum immediate, sed sumendum potius esse ex
interiori sensu, ut iam fecimus. Ad tertium dicto
cuius irascibilis sit tota propter concupiscibilem,
nunquam posse illi totaliter contrariari, quod si
appetitus sensituius interdum amat tristitia, ex eo
amat, ut consequatur delectabilia, quæ magis ap-
petit, quod non aduersatur inclinationi ipsius
concupiscibilis, sed potius stat pro illa, cum pro
concupitis laboret. Ad quartum occurres, allatum
signum non esse sufficiens, cum non proveniat ex
diuersitate potentiarum, sed ex pluralitate actuum:
vna quippe potentia dum actum aliquem exercet
distrahitur ab alijs: vnde etiam contingit, ut ip-
samet concupiscentia vehemens circa rem vnam
diminuat, ex concupiscentia circa rem aliam:
potest etiam id signum oriri ex aliqua repugnan-
tia inter actus inuicem, sic amor odium remouet,
quia actus sunt contrarij, licet vterq; pertineat ad
concupiscibilem: non ergo illud est signum suffi-
ciens. Quocirca rationes pro secunda parte factæ
probabiliores videntur. Ac nec forte antiqui ipsi
vulnerunt distinctionem realem asstruere, sed di-
stinxerunt solum duo nomina eiusdem appetitus
ad exponendum facilius eius actus, & passionem,
sicut etiam partiti sunt intellectum in practicum,
& speculatiuum, quamuis vnicâ potentia ab eis
constituatur. Atque hanc sententiam indicat Ari-
stoteles libr. 3. de Anima textu 29. & eandem do-
cuit Scotus & sequaces, quamuis alio ex funda-
mento.

Ex decisione huius capitis licet colligere, quo
pacto assignandum sit obiectum appetitui sensi-
tiu.

SVAREZ
de Angelis, op-
er 6. d. 1. rum, et
anima.

Tom. 1. 1. 1. 1.
1. 1. 1. 1. 1. 1.
1. 1. 1. 1. 1. 1.
1. 1. 1. 1. 1. 1.

D. V. 3.

Contraria opinio probabilior, et
conuenit au-
thor 1. 2.
tract. 4.
disp. 1. sect. 3.
n. 2.
1. Bina-
rio.

Confirm.

*De obiecto
appetitus v-
num placitum.*

*Caiet. res-
pon-
ditur.*

*Alterum
placitum
impugnatur.*

*2. Placitum
confutatur.*

*Resolutio
authoris.*

*Ratio boni
appetibilis.*

*Haebetur
hac in disp.
20. Metaph.
scilicet 2.*

tiu. In qua re varij sunt, qui distinctionem realem inter irascibilem, & concupiscibilem posuerunt. Etenim concupiscibili assignant bonum delectabile, quod etiam vocant concupiscibile. De irascibili eorum quidam philosophantur ad instar sensitiue cognitionis, quæ duplex asseritur, nimirum secundum rationes sensatas, & secundum non sensatas: ita ergo de duplici appetitu correspondente iudicant, quod etiam Caietanus iudicat 1. p. q. 81. a. 2. in fine: hæc tamen philosophia displicet. Nam ratio boni, & conuenientis nunquam est sensata ratio, seu aliquod sensu exteriori cognita, vt ex dictis liquet, neque enim sensus exterior rationem nouit conuenientis. Item amor, quo ouis filium prosequitur, ad concupiscenciam spectat, & similiter timor lupi, cum tamen notio filij sub ratione amici, & lupi notio sub ratione inimici ad rationem insensatam attineat. Alij ergo aiunt inter bona quedam esse delectabilia secundum sensum: alia ideo bona censerit, non quia delectant, sed quia ad victoriam consequendam faciunt. Huiusmodique bona ponunt obiecta irascibilis. Sed vero interrogo, quoniam sit ratio boni, sub qua irascibilis feratur in obiectum? non enim ratio est boni in communi, quia hæc ad voluntatem pertinet. Neque item boni honesti: quia huiusmodi ratio ex conformitate ad rationem rei sumitur: ideoque tantum potest appeti ab illa potentia, quæ a ratione mouetur. Neque rursum potest esse ratio boni utilis: nam talis ratio consistit in ordine medij ad finem, quam comparationem sensus efficere non potest, vt ex supradictis patet. Ergo vel ratio est boni delectabilis sensui, si que obiectum irascibilis cum obiecto concupiscibilis confundetur, vel erit aliqua superior ratio boni ab his distincta, quam assignare difficile erit, ne dicam impossibile, & contra omnes scribentes.

Atque eisdem argumentis oppugnatur opinio dicentium obiectum irascibilis esse bonum arduum, peto enim quodnam bonum contrahat particulam arduum: non certe bonum in communi, quia irascibilis non fertur in omnia bona ardua, vt de se constat: contrahit ergo aliquam determinatam rationem boni: ergo contrahit bonum delectabile, nam hæc est ratio maxime sensibilis: ergo bonum delectabile arduum erit obiectum irascibilis: consequens autem falsum est, quia bonum omne delectabile sensui, siue grande sit, siue exiguum, amari valet per concupiscibilem: atque si irascibilis appetere potest bona delectabilia, quæ ardua sunt, multo facilius potest appetere, quæ non sunt ardua, atque adeo vnica erit potentia, quæ feratur in delectabile bonum, siue arduum sit, siue non arduum. Quapropter in nostra sententia dicendum est, obiectum adæquatum appetitus sensitui esse bonum sensibile, seu quidquid bonum est sensitiue nature, atque vt tale per sensum apprehendi potest. Resolutio hæc constat ex dictis, nam tam vniversalis potentia est appetitus sensitui in suo ordine, sicut interior sensus in suo: ergo quidquid apprehendi valet sensu interiori sub aliqua ratione boni, appetitus sensitui appetere valebit sub eadem, quamuis consule: quoniam non oportet, vt sensus distincte percipiat, & quasi abstracte rationes ipsas conuenientis, & disconuenientis, vt sepe alias obseruauimus, viderique potest D. Thom. 1. p. q. 78 art. 4. & 1. 2. quæst. 24. art. 3. & q. 30. art. 1.

Superest hoc loco dubium, quoniam sit ratio boni per sensum appetibilis, an ne sit tantum delectabilitas, an etiam utilitas, vt Caiet supra credidit, an vero dari possit ratio aliqua boni conuenientis nature ab ijs distincta? At vero hoc dubium explicari in præsentia non potest sufficienter, namque oporteret singulas rationes boni, &

earum sufficientiam ad vnguem exponere, quod metaphysicum negotium est. Quapropter satis sit interim tenere bonum quodcunque sensibile obiectum adæquatum esse huius potentie.

De distinctione quoque obiectorum irascibilis & concupiscibilis, cum eas realiter non distinguamus, non multum curandum est: quia vero ratione saltem distingui possunt, proinde de illis loquendum tanquam de multis, in hunc modum possunt illis assignari obiecta, vt vtrique versetur quidem circa bonum sensibile: ac concupiscibilis illud respiciat tantum, vt in se appetibile est, atque in ordine ad consecutionem irascibilis autem respiciat, vt defensibile: vnde fit, vt irascibilis immediate versetur circa media, quib. defendendum est esse bonum, siue ea cognoscantur formaliter in ratione mediorum, siue tantum materialiter. Atque ita debet exponi D. Th. supra. Quo etiam tendit sententia asserentium irascibilem versari circa bonum arduum, quia scilicet ipsum respicit sub ratione defensibilis: vnde plane confirmatur potentias has non distingui, siquidem amare bonum, ac defensionem illius, sunt veluti amor medij, & finis, qui ad diuersas potentias referri non possunt.

Vltimo licet ex dictis colligere organum potentie appetentis. Qui namque in duas diuidunt, cor, & hepate, irascibilem vero in corde locant. ita Galen. & alij, nominatim Fernel. l. 5. qui est de animæ facultatibus, c. 5. putat in l. 6. c. 12. ad finem fuisse Platonis sententiam. Experientia etiam hoc videtur confirmari: cum enim irascimur, cor incalescit, cum delectamur, incalescunt præcordia, in quibus hepar numeratur. Sed hæc experientia fallax est. Nam ex vehementi timore etiam præcordia alterantur, cum tamen timor in irascibili ponatur ab ijs authoribus: gaudium etiam cor dilatatur, cum tamen gaudium ad concupiscibilem pertineat. Dicendum ergo organum potentie residere in corde, quod licet Aristoteles nunquam expresserit, in eius certe doctrina videtur exploratum, namque in corde tum sensus omnes, & præcipuas quasque potentias constituit, ac in 3. de anim. lib. text. 29. scribit sensum, & appetitum esse eadem, quod de identitate saltem subiecti est verificandum, consonumque est experientie, & communi conceptioni. Nimirum cordi tribuitur amor, & desiderium, alijque actus concupiscibilis: ergo potentia ipsa ibidem residet: reddique potest ratio. Est namque appetitus potentia, à qua originem trahit omnis motus, vt infra dicitur: cor autem est primum principium, & instrumentum motus: recte igitur appetitus sensitui in corde locatur, quæ est sententia Fracastorij lib. 2. de intellectu.

CAPVT V.

Quoniam sint, & quales actus sensitiui appetitus.

Diximus capite præcedenti de potentia appetitus sensitui, & de obiecto, atque organo. Illius superest dicamus de actibus. In qua re primo notandum huiusmodi actus communiter vocari passionibus, quoniam simul cum illis excitatur passio aliqua materialis in corpore, vt ascensio sanguinis ad cor. Nomen vero passio communiter in malam partem accipitur, pro actu inordinato, & maxime apud Stoicos, qui passionibus ponebant animi perturbationes à recta ratione diuersas, ex quo colligebant illas non cadere in virum sapientem, vt videre est in Ciceron. Tusc. 4. & in Senec. l. de anim. ad Nouatium, quæ acceptio vilitate reuera est iuxta quam D. Hieron. in illud Matth. 5. Qui viderit mulierem, &c. & capit. 25. circa illud, Corpus contristari, & mortuus esse, ait in Christo non fuisse passionem.

R 4

*De distin-
ctione obie-
cti concupisc.
& irascibilis*

*8
1. Coroll.
principale.
De subiecto;
seu organo
appetitus, a-
liorum sen-
tentia.*

*Vera senti-
tia.*

*Alios citat
Cicero in
lib. ethic.
diff. 6. q. 2.
a. 2.*

*De hoc arg.
author 1. 2.
tract. 4. diff.
1. scilicet 3.
Notatio 1.*

*Vide de in-
carn. diff. 34*